



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

LXXXVII. Praeceptum Karoli Regis quo donat Adalgiso fideli suo, ad  
deprecationem Hirmindrudis Reginae conjugis suae, villam quae vocatur  
Eliclacus super fluvium Olinae infra comitatum Bajocacensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

Deus procreaverit, ipsum conscriptum ad me reverri faciatis. Et si hoc non fecero, ipsas res in omnibus sine ullo contradicente possideatis. Et ipsum decimum ab ipso scriptore, quandiu advixerit, possideatur. Et si evenerit, quod minime credo, quod aut ullus Rex iniquus aut Comes aut Abbas aut ullus rector Ecclesie ipsas res superius iamdudum vel ullus heres meus ad ipsam causam Dei vel ad ipsos Canonicos abstrahere voluerit, in primis iram Dei incurrat & sanctorum offensa, & sit particeps in infernum cum Iuda Scahrior, qui Dominum tradidit, & hic conscriptus firmus & stabilis permaneat flabulatione subnixus. Facta cessio ista die Lunis in mense Madio anno v. i. regnante Karolo Rege Equitanorum filij Karoli Regis Francorum. Signum Airaudo, qui cessionem istam fieri vel affirmare rogavit. Signum Imnone.

## LXXXVII.

*Præceptum Karoli Regis quo donat Adalgiso fideli suo, ad deprecationem Hirmin-drudis Reginae conjugis sue, villam que vocatur Eliclacus super fluvium Olne infra comitatum Bajocacensem.*

An. 860.  
Ex chartulario monasterij  
Follacensis.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex. Regie celsitudinis mos est fideles regni sui donis multiplicibus & honoribus ingentibus honorare atque sublimare. Proinde ergo morem parentum Regum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, libuit celsitudini nostræ, ad deprecationem seu suggestionem carissimæ conjugis nostræ Hirmin-drudis, quandam fidem regni nostri Adalgisum nomine de quibusdam nostræ proprietatis rebus ditare sublimenque efficere, quæ videlicet res sunt sitæ infra comitatum Bajocacensem super fluvium Olne, hoc est, villa que vocatur Eliclacus, in qua consistunt mansi x. i. vel quicquid ad eandem villam jure legaliterque pertinet dinoscitur. Vnde hoc altitudinis nostræ præceptum fieri illique dari iussimus, per quod memoratas res cum omnium rerum summa integritate, cum terris cultis & incultis, silvis, pratis, molendinis, piscibus, aquis, aquarumve decursibus & regressibus, & omnibus legitimis & terminationibus, necnon & mancipiis utriusque sexus desuper comanentibus vel ad easdem res jure legaliterque pertinentibus . . . . & ad integrum, sicut dictum est, præfato fideli nostro Adalgiso ad proprium concedimus, & de nostro jure in jus ac dominationem illius solenni more transferimus; ita videlicet ut quicquid ex prædictis rebus & mancipiis pro sua utilitate ac commoditate facere decreverit, libero in omnibus potiarum arbitrio faciendi sicut ex reliquis rebus & mancipiis suæ proprietatis. Ut autem hæc nostræ largitionis auctoritas firmiter habeatur ac per futura tempora diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, anulique nostri impressione assignari iussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Gosinus Notarius ad vicem Hludovici recognovit.

Data VIII. Idus Decemb. Indictione 1x. anno 861. regnante Domino Karolo gloriosissimo Rege.

Actum Adrianiaco publico palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

## LXXXVIII.

*Narratio de monacho Cenomanensi ad canonicam vitam & habitum converso.*

Sicut cotidie sancta Ecclesia ad sortem electorum atque beatitudinem perpetuæ vitæ capessendam diversis evocationibus, non solum despectus sæculi, sed etiam eos, quod majus est, quos mundialis actio perfloridos facit, adtrahere decernat, ut illos hic & diversitas bonorum actuum multiplicet & illic dissimilitas retributionis variæ ornet, ita è contrario antiquus hostis pius indefinenter subripere non cessat, ut quos confortes non potest habere in gloria, saltem socios secum cognoscat in pœna. Nam cum in tribus ordinibus, id est, laicorum, Canonicorum, monachorumque, non desint qui à primævo tempore nobiliora acta persequuti atque aggredi tentarint dato divinitus intelligibilianimo, eos maxime infidiari nititur quos in juvenili ætate creverit se ultro dominicis præceptis mancipasse, ut tanto profundius ad ima gaudens proiciat quanto à suis cruentis faucibus semel evasisse dolebat: quorum devotio à proposito sancto quam damnabilis esse censetur evangelica & apostolica documenta edocent, suisque medicaminibus ut denuo reformentur, qualiter serpentinis venenis sauciantur, corroborant. Cum enim unicusque modus correctionis secundum gravitatem contagij conveniat, idque à doctoribus Ecclesie sanciri permillum sit data auctoritate aliconantis iudicis, ut aliter obrecta detegantur, aliter aperta deleantur, in his etiam qui post devotionem nobiliorem ad secularem iterum habitum dilabuntur atque apostatæ efficiuntur major sollicitudo & cura adhibenda esse decernitur, quæ prævaricatione pessima in utroque sexu modernis temporibus supra modum invenitur, plurimisque vacillantes suis volubilitatibus implicare & deperire à recto tramite obfuscatis luminibus insilit. Sed quia hoc devotibile genus in promptu stare videtur, ac propter hoc in cœtu bonorum malorumque catholicorum pars sit in redargutione, pars in defensione mali, ita ut eos quos in tali facinore depressos, dum non possunt innocuos facere in toto, suis mendosis sermocinationibus aut per abnegationem aut dissimulationem actus vel per aliquam occasionem innocentes conantur ostendere, sitque jam gravior casus multorum quam unius, restat de hac ipsa controversia quæ modò nostris in partibus excrevit aliquid ad medium deducere, quatinus cognita veritate iudicium observetur veracium, & falsitas confusa evanescat.

Quidam namque sacerdos nomine Vrso valde nobilis fuit Cenomannis civitate, qui unum ex suis nepotibus superstitem esse volebat. Cùmque

Ex veteri codice bibliothecæ Colbertinæ.